

ex alijs, & ex ipsis omnia] non bene dicere, quia hoc modo hęc definitio prout iacet, etiam Deo competit, & naturali agenti; etenim quamvis particula illa, ex, cōmuniter principia intrinseca, & componentia notet, rigorosè loquendo vera non est, nam de Filio eterno dicitur [& ex Patre natus ante omnia saecula] & de Christo domino [natus ex Maria virgine] & nihilominus neque Pater eternus, & si sit verum principium Filij aeterni, & B. virgo Maria Christi domini, neque primum Verbum componit, neque B. virgo Maria Christum dominum, sed solum in his duobus casibus dicta principia; vt efficientia considerantur, vel physicè concurrentia aliquo modo; vnde habemus Ioannis 13. [qui ex Deo est, verba Dei audit] non dico tamen, quod Pater aeternus respectu Verbi diuini extrinsece se habeat, quod det illi suam naturam, illam videlicet illi comunicando, & personā eiusdem Filij producendo, & Maria virgo suam carnem Christo domino, videlicet naturam humanam, sed ex dictis tantum inferre volo, quod illa particula, ex, causæ efficienti, & cuilibet principio producenti aliquo modo applicari potest, vt bene notat Comptonus disp. 2. physic. sectione 2. n. 1. quod satis est mihi, vt ostendam, quod definitio Aristotelica ita ab antiquis, & modernis laudata, habet difficultates, & quod verum est illud vulgatum dictum [aliquando bonus dormitat Homerus,] & quia dubium est quænam principia allata definitione Aristoteles definierit; hinc est, quod ego necessarium existimauit talem rem examinare, propterea sit semper ad laudem Dei

S E C T I O . III.

*Vtrum Aristoteles quando prima definiuit principia, definit
rit principia cōmunitatis, an verò causalitatis?*

16 **N**e per ignota procedatur à legētibus in hac materia, pri-
mo sciendū est, quid veniat nomine principiū causalita-
tis, quidue cōmunitatis. Principia cōmunitatis voco illa, quæ sūt
cōmunia tā cōposito accidētali, quā substātiali, vel ab utraq; prin-
cipiatione præscindunt, causalitatis verò principia solum com-
positum substātiale respiciunt, & sic talia principia vocantur,
quia principia compositi accidentalis causare habent. **Quæstio-**
nis